

## MALS Winter 2025 - Latin Advanced

Salvēte lectōrēs!

Rather than read long extracts from one author's oeuvre (as I did last year with Velleius Paterculus' *Historia Romana*), this Winter Week I propose to read a selection of shorter extracts from a few different authors. My goal here is to keep the content fresh throughout the week, to read things that are new to at least most people, and to avoid any one author overstaying their welcome.

I will not pretend there is any unifying theme or motivation to this collection beyond simple personal interest and a desire to read more widely – I assume the little voice that says 'read those books on your shelf!' is present in other peoples' heads too. Hopefully you will find them interesting and/or new, and I look forward to sharing discussions with you about them.

Estimating the amount of text an advanced class gets through can be difficult, so I have tried to err on the side of providing too much rather than too little. In any event preferences often vary as to speed and thoroughness, so I'm happy to be guided on this by participants as we progress through the week.

To guide any prior preparation, I expect we will start (at least) all six readings during the week. We will start with the Cicero reading and then discuss as a group which to proceed with next.

Texts and their sources:

1. Cicero, *In Verrem* II.4.1-2, 94-95 – <https://www.thelatinlibrary.com/cicero/ver.shtml>
2. Aulus Gellius, *Noctes Atticae* 1.19, 1.23, 3.15 – <https://www.thelatinlibrary.com/gellius.html>
3. Ausonius, extracts from *Epitaphs*, *Eclogues*, *Technopaegnon* and *De Caesaribus* – Loeb
4. Carmina Latina Epigraphica – [https://db.edcs.eu/epigr/epi.php?s\\_sprache=en](https://db.edcs.eu/epigr/epi.php?s_sprache=en)
5. Julius Obsequens, *Prodigiorum Liber* 54, 67-68 – <https://www.thelatinlibrary.com/obsequens.html>
6. Giovanni Boccaccio, *De Mulieribus Claris* 77 – <http://www.bibliotecaitaliana.it/testo/bibit000947>

If you would like to get in touch with me before the week, please send your enquiries through the MALS team at [mals@mq.edu.au](mailto:mals@mq.edu.au).

Looking forward to reading with you in July!

Philip Brophy

## 1. Cicero, *In Verrem* II.4.1-2, 94-95

The statesman and advocate M. Tullius Cicero (106 BCE - 43 BCE) needs no introduction. This extract is from his undelivered fourth speech in his prosecution of C. Verres in 70 BCE for his maladministration as pro-praetor in Sicily. This speech deals with Verres' passion for collecting (read: extorting) precious artworks from the cities and temples of Sicily. Below are the introduction and one example of attempted art-theft.

[1] venio nunc ad istius, quem ad modum ipse appellat, studium, ut amici eius, morbum et insaniam, ut Siculi, latrocinium; ego quo nomine appellem nescio; rem vobis proponam, vos eam suo non nominis pondere penditote. genus ipsum prius cognoscite, iudices; deinde fortasse non magno opere quaeritis quo id nomine appellandum putetis. nego in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quicquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam neque in tabula neque in textili quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit.

[2] magnum videor dicere: attendite etiam quem ad modum dicam. non enim verbi neque criminis augendi causa complector omnia: cum dico nihil istum eius modi rerum in tota provincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. etiam planius: nihil in aedibus cuiusquam, ne in <hospitis> quidem, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum, denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati neque publici neque profani neque sacri tota in Sicilia reliquisse.

\*\*\*

[94] Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim quicquam me vidisse pulchrius—tametsi non tam multum in istis rebus intellego quam multa vidi—usque eo, iudices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari verum etiam osculari solent. ad hoc templum, cum esset iste Agrigenti, duce Timarchide repente nocte intempesta servorum armatorum fit concursus atque impetus. clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur; qui primo cum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. postea convulsis repagulis ecfractisque valvis demoliri signum ac vectibus labefactare conantur. interea ex clamore fama tota urbe percrebuit expugnari deos patrios, non hostium adventu necopinato neque repentino praedonum impetu, sed ex domo atque ex cohorte praetoria manum fugitivorum instructam armatamque venisse.

[95] nemo Agrigenti neque aetate tam adfecta neque viribus tam infirmis fuit qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit, telumque quod cuique fors offerebat arripuerit. itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. horam amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur; illud interea nulla lababat ex parte, cum alii vectibus subiectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. ac

repente Agrigentini concurrunt; fit magna lapidatio; dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites. duo tamen sigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonem religionum revertantur. numquam tam male est Siculis quin aliquid facete et commode dicant, velut in hac re aiebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum verrem quam illum aprum Erymanthium referri oportere.

## 2. Aulus Gellius, *Noctes Atticae* 1.19, 1.23, 3.15

All we know about the life of Aulus Gellius (c.125 to c.180 CE) comes from his own writings, and even this is often contested. We know he served in a judicial career and spent time in Athens, where he began his only known work, the *Noctes Atticae*, as a means to amuse himself throughout the long winter nights. This work is a variegated collection of Gellius' notes and musings on a wide range of historical, mythological, linguistic, philosophical, and literary topics. The three extracts below relate the tale of Tarquin and the Sibylline books, an anecdote about a son lying to his mother, and a joke told by Hannibal at king Antiochus' expense.

### 1.19 – Historia super libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo rege.

in antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis haec prodita est: anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula; eos velle venundare. Tarquinius pretium percontatus est. mulier nimium atque inmensum poposcit; rex, quasi anus aetate desiperet, derisit. tum illa foculum coram cum igni apponit, tris libros ex novem deurit et, ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, regem interrogavit. sed enim Tarquinius id multo risit magis dixitque anum iam procul dubio delirare. mulier ibidem statim tris alios libros exussit atque id ipsum denuo placide rogat, ut tris reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio atque attentiore animo fit, eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intellegit, libros tris reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petatum pro omnibus. sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit. libri tres in sacrarium conditi "Sibyllini" appellati; ad eos quasi ad oraculum quindecimviri adeunt, cum di immortales publice consulendi sunt.

### 1.23 – Quis fuerit Papirius Praetextatus; quae istius causa cognomenti sit; historiaque ista omnis super eodem Papirio cognitu iucunda.

mos antea senatoribus Romae fuit in curiam cum praetextatis filiis introire. tum, cum in senatu res maior quaequam consultata eaque in diem posterum prolata est, placuitque, ut eam rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret, priusquam decreta esset, mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu patres egissent. puer respondit tacendum esse neque id dici licere. mulier fit audiendi cupidior; secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum everberat: quaerit igitur compressius violentiusque. tum puer matre urgente lepidi atque festivi mendacii consilium capit. actum in senatu dixit, utrum videretur utilius exque republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. hoc illa ubi audivit, animus compavescit, domo trepidans egreditur ad ceteras matronas. pervenit ad senatum postridie matrum familias caterva; lacrimantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duae. senatores ingredienti in curiam, quae illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istaec vellet, mirabantur. puer Papirius in medium curiae progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicut fuerat, denarrat. senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in

curiam ne introeant, praeter ille unus Papirius, atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum "Praetextatus" ob tacendi loquendique in aetate praetextae prudentiam.

#### 5.5 – Cuiusmodi ioco incavillatus sit Antiochum regem Poenus Hannibal.

in libris veterum memoriarum scriptum est Hannibalem Carthaginiensem apud regem Antiochum facetissime cavillatum esse. ea cavillatio huiusmodi fuit: ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentis, quas bellum populo Romano facturum comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem; inducebat etiam currus cum falcibus et elephantos cum turribus equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentem. atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspexit et "putasne" inquit "conferri posse ac satis esse Romanis haec omnia?" tum Poenus eludens ignaviam inbelliamque militum eius pretiose armatorum: "satis, plane satis esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt." nihil prorsum neque tam lepide neque tam acerbe dici potest: rex de numero exercitus sui ac de aestimanda aequiperatione quaesiverat, respondit Hannibal de praeda.

### 3. Ausonius, extracts from *Epitaphs*, *Eclogues*, *Technopaegnion* and *De Caesaribus*

Decimus Magnus Ausonius (c.310-c.395) hailed from Burdigala (mod. Bordeaux, France). By profession a teacher of rhetoric, he served as a tutor to the future emperor Gratian. Thenceforth moving increasingly in political circles, he rose to be appointed consul in 379. After Gratian's assassination in 383 he retired to Burdigala and spent the rest of his life composing literature. His output spanned many genres, including perhaps most famously the *Mosella*, a celebration of the Moselle River. We will read here a selection of some of his shorter works on mythological, historical and linguistic themes.

#### VI – Epitaphs

##### **1 – Agamemnoni**

rex regum Atrides, fraternae coniugis ultor,  
    opetii manibus coniugis ipse meae.  
quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,  
    vindicem adulterii cum Clytemestra necet?

##### **2 – Menelao**

felix o Menelae, deum cui debita sedes  
    decretumque piis manibus Elysium,  
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti,  
    coniugii vindex, ultor adulterii,  
aeterno pollens aevo aeternaue iuventa,  
    nec leti passus tempora nec senii.

##### **13 – Deiphobo**

proditus ad poenam sceleratae fraude Lacaenae  
    et deformato corpore Deiphobus  
non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis  
    et pius Aeneas et Maro composuit.

##### **22 – Priamo**

hic Priami non est tumulus nec condor in ista  
    sede: caput Danai deripuerunt meum.  
ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,  
    confugi ad cineres Hectoreos genitor.  
illic et natos Troiamque Asiamque sepultam  
    inveni et nostrum quidquid ubique iacet.

## VII – Eclogues

### **9 – Monosticha de Mensibus**

primus Romanas ordiris, Iane, kalendas.  
Februa vicino mense Numa instituit.  
Martius antiqui primordia protulit anni.  
fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.  
maiorum dictus patrum de nomine Maius.  
Iunius aetatis proximus est titulo.  
nomine Caesareo Quintilem Iulius auget.  
Augustus nomen Caesareum sequitur.  
autumnus, Pomona, tuum September opimat.  
triticeo October faenore ditat agros.  
sidera praecipitas pelago, intempeste November.  
tu genialem hiemem, feste December, agis.

### **10 – Disticha de Mensibus**

Iane nove, primo qui das tua nomina mensi,  
Iane bifrons, spectas tempora bina simul.  
post superum cultus vicino Februa mense  
dat Numa cognatis manibus inferias.  
Martius et generis Romani praesul et anni,  
prima dabas Latiis tempora consulibus.  
Aeneadum genetrix vicino nomen Aprili  
das Venus: est Marti namque Aphrodita comes.  
Maia dea, an maior Maium te fecerit aetas,  
ambigo; sed mensi est auctor uterque bonus.  
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore,  
seu nomen Iuno sive Iuventa dedit.  
inde Dionaeo praefulgens Iulius astro  
aestatis mediae tempora certa tenet.  
Augustus sequitur cognatum a Caesare nomen,  
ordine sic anni proximus, ut generis.  
nectantur post hos numerumque ex ordine signant:  
September, Bacchi munere praela rigans,  
et qui sementis per tempora faenore laetus  
October cupidi spem fovet agricolae,  
quique salo mergens sollemnia signa November  
praecipitat, caelo mox reditura suo.  
concludens numerum genialia festa December  
finit, ut a bruma mox novus annus eat.

## XII – Technopaegnion

### **3 – Versus monosyllabis et coepti et finiti ita ut a fine versus ad principum recurrant.**

res hominum fragiles alit et regit et perimit fors,  
fors dubia aeternumque labans: quam blanda foveat spes,  
spes nulla finita aevo: cui terminus est mors,  
mors avida, inferna mergit caligine quam nox,  
nox obitura vicem, remeaverit aurea cum lux,  
lux dono concessa deum, cui praevius est sol,  
sol, cui nec furto in Veneris latet armipotens Mars,  
Mars nullo de patre satus, quem Thraessa colit gens,  
gens infrena virum, quibus in scelus omne ruit fas,  
fas hominem mactare sacris: ferus iste loci mos,  
mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex,  
lex naturali quam condidit inperio ius,  
ius genitum pietate hominum, ius certa dei mens,  
mens, quae caelesti sensu rigat emeritum cor,  
cor vegetum mundi instar habens, animae vigor et vis,  
vis tamen hic nulla est: tantum est iocus et nihili res.

## XIV – De Duodecim Caesaribus

### **4 – De obitu singulorum monosticha**

Iulius interiit Caesar grassante senatur.  
addidit Augustum divis matura senectus.  
sera senex Capreis exul Nero fata peregit.  
expetiit poenas de Caesare Chaerea mollis.  
Claudius ambiguo conclusit fata veneno.  
matricida Nero proprii vim pertulit ensis.  
Galba senex periit saevo prostratus Othone.  
mox Otho famosus, clara set morte potitus.  
prodiga succedunt perimendi sceptrum Vitelli.  
laudatum imperium, mors lenis Vespasiano.  
at Titus, orbis amor, rapitur florentibus annis.  
sera gravem perimunt, sed iusta piacula fratrem.

## 4. Carmina Latina Epigraphica (Latin Funerary Poems)

Latin epigraphy is in large part the study of funerary inscriptions, hundreds of thousands of which survive from across the Roman Empire. Approximately 1% of these inscriptions are in verse, so called 'carmina epigraphica'. They represent a 'popular' form of poetry which, while at times a little rough around the edges, is often as capable of power and sentiment as the literary greats. I have provided the reference number in the *CIL* and in the seminal collection *Carmina Latina Epigraphica* by Franz Bücheler. In transcribing the inscriptions I have preserved variations in spelling, but have cleaned up minor errors in stone-cutting (e.g. O for Q or I for T)

Common epigraphic conventions used:

**(abc)** indicates letters which were abbreviated but have been restored.

**[abc]** indicates letters which were spelt in full but have since been damaged or lost.

**<abc>** indicates letters which were omitted contrary to 'conventional' spellings.

**{abc}** indicates letters which were included contrary to 'conventional' spellings.

*CIL* IX.3184 = *CLE* 1313 – Epitaph of Q. Caecilius Q.f. Optatus (Corfinium, Italy) [1<sup>st</sup> cent. CE]

Q(uinto) Caecilio

Q(uinti) f(ilio) Pal(atina) Optato

vixit an(nos) II me(nses) VI

Q(uintus) Caecilius Q(uinti) et

(mulieris) l(ibertus)

5

Hermes sevir Aug(ustalis)

Licina Repentina

parentes piissimi posuer(unt)

et Q(uintus) Caecilius Q(uinti) f(ilius) Pal(atina)

Paelinus fratr(i)

10

hic iacet Optatus pietatis nobilis infas,

cui precor ut cineres sint ia sintq(ue) rosae,

terraq(ue), quae mater nunc est, sibi sit levis oro,

namque gravis nulli vita fuit pueri.

ergo, quod miseri possunt praestare parentes,

15

hunc titulum nato constituere suo.

*Notes*

**5** (mulieris) – actually inscribed is the symbol  $\mathcal{O}$ , which is used in freedmen's nomenclature to indicate that their former owner was a woman. **12** ia < ion, iī (n.) *violet* (Grk. ἰόν)

CIL XI.6565 = CLE 439 - Epitaph of Marcana C.f. Vera (Sarsina, Italy) [2nd cent. CE]

D(is) M(anibus)  
Marcanae  
C(ai) f(iliae) Verae  
T(itus) Caesius  
Lysimachus 5  
coniugi sanctissimae  
et sibi vivos posuit.  
ver tibi contribuat sua muner[a]  
flore gratia et tibi gratia  
comis nutet aestiva voluptas. 10  
reddat et autumnus Bacchi  
tibi munera semper ac leve  
hiberni tempus tellure dicetur.

*Lines 8 to 13 arranged as hexameters*

ver tibi contribuat sua munera florea gratia  
et tibi gratia comis nutet aestiva voluptas.  
reddat et autumnus Bacchi tibi munera semper  
ac leve hiberni tempus tellure dicetur.

CIL XI.7856 = CLE 2068 – Epitaph of L. Sentius L.f. Pietas (Carsulae, Italy) [mid 1st cent. CE]

L(ucius) Sentius L(uci) (mulieris) lib(ertus) Lucio sib(i) et Pontiae L(uci) f(iliae) Proculae  
ux(ori)  
et L(ucio) Sentio L(uci) f(ilio) Pietati vix(it) ann(os) XVII m(enses) IX die(s) VII  
v(ivae) et Speratae libert(ae) nutrici fili(i).  
hoc quicumque legis titulo rogo carmen amice  
perlege! sic vitae commoda multa feras. 5  
Sentius hic iaceo Pietas cognomine dictus  
praereptusque patri flore vigente meo.  
artibus ingenuis, studio formatus honesto,  
inter et aequales gratus amore fui.  
duodeviginti natales ni numerarem, 10  
surrupuit menses tres mihi Luna suos.  
in fro(nte) p(edes) XIII in agr(o) p(edes) XII

*Notes*

**1** (mulieris) – actually inscribed is the symbol  $\text{O}$ , which is used in freedmen's nomenclature to indicate that their former owner was a woman. **9** ni = ne, not nisi

CIL XI.4631 = CLE 1846- Epitaph of Pontia (Carsulae, Italy) [4th cent. CE]

*This enigmatic inscription survives on the outside of what would have been a sarcophagus, in two (now separate) panels on either side of a heavily damaged relief believed to depict Jesus Christ.*

*On the left panel*

Pontia sidereis aspirans vultibus olim  
hic iacet: aetherio semine lapsa fuit.  
omnes honos, omnis ces<s>it tibi gratia formae;  
mens quoque cum vultus digna nitore fuit.  
tradita virgo toris decimum non pertulit annum 5  
coniugii: infelix unica prole perit.  
quantus amor, mentis probitas quam grata marito,  
quam casti mores, quantus et ipse pudor!  
nil tibi quod foedum, vitium nec moribus ullum,  
dum satis obsequeris, famula dicta viri. 10

*On the right panel*

denique te, memet fatis odioque gravatum  
dum sequeris, vidit Corsica cum lacrimis.  
tu Treviros pergens cursu subvecta rotarum,  
coniugis heu cultrix, dura satis pateris.  
te pater infestus genero cum tollere vellet, 15  
tem<p>tasti laqueum, si faceret genitor.  
cedite iam veterum laudes omnesque maritae:  
tempora nulla dabunt talia quae faciat.  
vir tuus, ingenti gemitu fletuque rigatus,  
hos feci versus, pauca tamen memorans. 20

CIL VI.19007 = CLE 562 – Epitaph of Geminia Agathe Mater (Rome, Italy) [2<sup>nd</sup> cent. CE]

*Lines 3 to 22 are in hexameters.*

D(is) M(anibus)  
Geminiae Agathe Matri dulcissimae.  
Mater nomen eram mater non lege futura,  
quinque etenim solos annos vixisse fatebor  
et menses septem diebus cum vinti duobus. 5  
dum vixi, lusi. sum cunctis semper amata.  
nam pueri voltum, non femine, crede, gerebam,  
quam soli norant Agathen qui me genuerunt.  
ingenio docili, forma pulchra ac veneranda,  
rufa coma, tonso capite pos{t}rema remisso. 10  
convivae cuncti nunc mi bona pocula ferte,

diciteque ut semper meo corpori terra levis sit.  
nec parvae doleat requiem mei perqua(m) Faventius,  
nutritor plus quam genitor, qui solam amavit.  
est mihi nam mater, pater et praecesserat olim 15  
nec doluit casum; soror est et matris amoenae,  
tristis et ipsa meae mortis. quos cuncti parentes  
solando vitae dulci retinete precantes,  
ne dolor augescat seu maeror tristis abundet.  
qui legitis, totum nomen si nosse velitis, 20  
noscetis Geminiam Agathen, quam mortis acerbus  
eripuit letus teneramque ad Tartara duxit.  
hoc est. sic est. aliut fieri non potest. hoc ad nos.

#### Notes

5 vinti = viginti 16 amoenae could be read as the name of the mother i.e. Amoenae.

CIL VI.1975 = CLE 441 – Epitaph of T. Statilius T.f. Aper (Rome, Italy) [2<sup>nd</sup> cent. CE]

*This inscription, now in the Capitoline Museums, is below a relief of a young man in a toga standing with a boar lying at his feet. The text, split across two panels, puns on his name Aper ('boar') and makes reference to the myth of Meleager, who killed the Calydonian Boar.*

*On the upper panel.*

innocuus Aper, ecce, iaces non virginis ira nec Meleager  
atrox perfodit viscera ferro. mors tacita obrepsit subito fecitq(ue)  
ruinam quae tibi crescenti rapuit iuvenile figuram.

*On the lower panel.*

T(ito) Statilio Vol(tinia) Apro mensori  
aedificior(um) vixit ann(is) XXII m(ensibus) VIII d(iebus) XV 5  
T(itus) Statilius Vol(tinia) Proculus  
accensus velatus et Argentaria  
Eutychia parentes filio optumo et  
Orciviae Anthidi uxori eius sibi q(ue) et suis  
libertis libertabus posterisque eorum 10

*Lines 1-3 arranged as hexameters.*

innocuus Aper, ecce, iaces non virginis ira  
nec Meleager atrox perfodit viscera ferro.  
mors tacita obrepsit subito fecitq(ue) ruinam,  
quae tibi crescenti rapuit iuvenile figuram.

## 5. Julius Obsequens, *Prodigiorum liber* 54, 67-68

Julius Obsequens is the otherwise unknown author of a 4<sup>th</sup>-5<sup>th</sup> cent. CE annalistic compilation of various prodigies, omens, signs, portents and other unusual events that occurred in the middle and late Republican period. Obsequens frequently drew on Livy's *Ab Urbe Condita*, but it seems he also utilised other sources as well. The omens are presented in a simple, matter-of-fact style with little-to-no contextualisation or commentary. I have chosen extracts pertaining to the years 91 and 44 BCE

### 54. L. Marcio Sex. Iulio consulibus [AUC 663 / 91 BCE]

Livio Druso tribuno plebis leges ferente cum bellum Italicum consurgeret, prodigia multa apparuerunt urbi. sub ortu solis globus ignis a septemtrionali regione cum ingenti sono caeli emicuit. Arretii frangentibus panes cruor e mediis fluxit. in Vestinis per dies septem lapidibus testisque pluit. Aenariae terrae hiatu flamma exorta in caelum emicuit. circa Regium terrae motu pars urbis murique diruta. in Spoletino colore aureo globus ignis ad terram devolutus, maiorque factus e terra ad orientem ferri visus magnitudine solem obtexit. Cumis in arce simulacrum Apollinis sudavit. aedis Pietatis in circo Flaminio clausa fulmine icta. Asculo per ludos Romani trucidati. cum ex agris in urbem pecora armentaque Latini agerent, strages hominum passim facta. armenta in tantam rabiem concitata sunt ut vastando suos hostile imaginarentur bellum lacrimantesque canes multis affectibus calamitatem praesagirent suis.

### 67. C. Caesare M. Antonio consulibus [AUC 710 / 44 BCE]

Caesari dictatori exta sine corde inventa. Calpurnia uxor somniavit fastigium domus, quod senatus consulto erat adiectum, ruisse. nocte cum valvae cubiculi clausae essent, sua sponte apertae sunt, ita ut lunae fulgore, qui intro venerat, Calpurnia excitaretur. ipse Caesar viginti tribus vulneribus in curia Pompeiana a coniuratis confossus.

### 68. M. Antonio P. Dolabella consulibus [AUC 710 / 44 BCE]

C. Octavius testamento Caesaris patris Brundisii se in Iuliam gentem adscivit. cumque hora diei tertia ingenti circumfusa multitudo Romam intraret, sol puri ac sereni caeli orbe modico inclusus extremae lineae circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eum circumscripsit. ludis Veneris Genetricis, quos pro collegio fecit, stella hora undecima crinita sub septentrionis sidere exorta convertit omnium oculos. quod sidus quia ludis Veneris apparuit, divo Iulio insigne capitis consecrari placuit. ipsi Caesari monstrosa malignitate Antonii consulis multa perpresso generosa fuit ad resistendum constantia. terrae motus crebri fuerunt. fulmine navalia et alia pleraque tacta. turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero ante cellam Minervae pridie quam plebiscito in exilium iret posuerat, dissipatum membris primum iacuit, fractis humeris brachiis capite; dirum ipsi Ciceroni portendit. tabulae aeneae ex aede Fidei turbine evulsae. aedis Opis valvae fractae. arbores radicitus et pleraque tecta eversa. fax caelo ad occidentem visa ferri. stella per dies septem insignis arsit. soles tres fulserunt, circaque solem imum corona spiceae similis in orbem emicuit, et postea

in unum circulum sole redacto multis mensibus languida lux fuit. in aede Castoris nominum litterae quaedam Antonii et Dolabellae consulum excussae sunt, quibus utrisque alienatio a patria significata. canum ululatus nocte ante domum auditi, ex his maximus a ceteris laniatus turpem infamiam Lepido portendit. hostiae grex piscium in sicco reciproco maris fluxu relictus. Padus inundavit et intra ripam refluxens ingentem viperarum vim reliquit. inter Caesarem et Antonium civilia bella exorta.

## 6. Giovanni Boccaccio, *De Mulieribus Claris* 77 (Claudia Quinta)

The Florentine writer Giovanni Boccaccio (1313-1375) is most famous for his Italian prose and poetry, in particular the *Decameron*, a collection of traveller's tales that influenced Chaucer's *Canterbury Tales*. One of his Latin works is the *De Mulieribus Claris* (1362), a collection of short biographies of 106 famous women from Graeco-Roman and Judaeo-Christian tradition through to contemporary Italian royalty – among the first works of its kind in Western literature. Boccaccio usually concludes his narration of each woman's claim to fame with his own commentary interpreting the story through a Christian moral framework. Our extract centres on Claudia Quinta, who in 204 BCE proved her virtuousness by assisting the transport of a statue of the goddess Cybele to Rome.

Nota bene: Boccaccio's Medieval Latin displays some minor syntactic and orthographic differences from Classical norms. To note just two in this extract: the diphthong **ae** is spelt as **e** (hence **hec** for **haec**, **Claudie** for **Claudia**) and **vult** with an *ut* + subjunctive clause rather than an infinitive.

### LXXVII. De Claudia Quinta muliere romana.

Claudia Quinta romana fuit mulier; quibus tamen orta parentibus, non satis patet; verum insigni quadam audacia perpetuam sibi claritatem peperit.

hec cum assiduo ac vario et accurate plurimum uteretur ornatu ac oris cultu nimio incederet splendida, a gravioribus matronis non tantum minus honesta, verum et minus pudica arbitrata est.

sane, Marco Cornelio et Publio Sempronio consulibus, anno scilicet quintodecimo belli punici secundi, factum est ut e Pesimunte deum mater Romam in faucibus Tyberis applicaret. ad quam suscipiendam e navi, cum iuxta responsum oraculi Nausica, ab universo senatu totius urbis vir optimus iudicatus, cum matronis omnibus eo usque concederet ubi propinqua navis, contigit ut, volentibus nautis litori propinquare, hereret vado fluminis ratis qua vehebatur simulacrum.

et cum nec trahente iuvenum multitudine posse moveri videretur, Claudia aliis matronis immixta sue virtutis conscia palam summissis genibus deam supplex deprecata est ut, si se castam arbitraretur, cingulum sequeretur suum. et illico fidenter consurgens, id futurum sperans quod prece quesiverat, navim alligari cingulo iussit et ab ea iuvenes amoveri omnes; nec ante factum est quam, trahente Claudia, facillime navem a vado evelleret et, mirantibus cunctis, eam in partem quam cupiebat traheret; ex quo tam mirabili successu secutum est evestigio ut omnium de minus servata pudicitia, maxima Claudie laude, in contrarium verteretur opinio. et sic que ad litus turpi lascivie nota maculata processerat, decorata insigni pudicitie splendore, patriam reintravit.

verum etsi pro voto Claudie cesserit, absit ut existimem sane mentis esse, quantumcunque innocue, similia audere. velle enim, ut se quis ostendat insontem, id agere quod preter naturam sit, deum potius temptare est quam obiecti criminis purgare labem. sancte nobis

agendum est, sancte vivendum; et si minus boni existimemur, non absque bono nostro patitur Deus; vult quippe nostra firmetur patientia, auferatur elatio, exerceatur virtus et ut nobiscum ipsi letemur, dum alios noscit indignos. satis nobis est, multum est, imo permaximum, si Deo teste bene vivimus; et idcirco, si minus bene de nobis sentiunt homines, dum bene fecerimus, non curemus, dum male, ut emendemur totis viribus instandum est, ut eos potius male opinantes sinamus quam male agentes simus.